

Luc. XI. 13, quæ modo adducta sunt, repetit & plurium Theologorum auctoritate confirmat.

XIII. Quamquam verò his tot tantisque argumentis evinci videatur, non esse veras preces, quæ ex informata Divino verbo fide non profluunt, operibusque, ex fide necessario oriundis, non sunt imbutæ, talesque esse nequeant, quæ ab homine non converso, quamquam pro ipsa conversione sua, funduntur, non tamen desunt ex adversa parte fundamenta, non minus in se roboris habentia, quæ irrogenitorum preces, dummodo DEO hominibusque haud illudant, veri nominis preces esse persuadeant. Ex quorum propositione & discussione, quæ in censum preces pro suimet conversione ad DEUM fusæ referendæ sint, enitescet.

XIV. Et quidem I. vix dubitari potest, à Christo Matthæi sexto normam precandi præscriptam esse, non discipulis tantum, sed universim omnibus Christianis. Id manifestè ipse innuit in frontispicio statim montanæ illius concionis, cum ad populum, magno numero ad ipsum confluentem, in quo & conversi fuerunt & non conversi, ut in tanto hominum grege fieri solet, os suum aperuisse dicitur, quasi sonora voce, ut omnes singulique audirent, eosdem allocuturus. Huic enim fini sedisse dicitur, doctorum more & circumstetisse discipulos à dextris & sinistris, ut testes simul eorum essent, quæ dicerentur. Id nisi foret, cur conjunxerit discipulis populum? Aut cur non alibi populum precandi artem, qua in Christianismo nihil excelsius, nihil salutaris est, edocuit? Tota præterea concio, per tria capita diffusa, meras in se doctrinas, universo Christianorum ordini necessarias, in se complectitur. Has dum propositurus est Christus, cur à populo recederet cum discipulis, ut volunt alii, relicto in planitie populo, in montem, solisque discipulis tantum thesaurum elargiretur? Nam quod una alteraque *ἑτοιχῆ* solos Ecclesiæ ministros attinere videtur, id ipsum ob circumstantem populum factum esse evidens est, ut quibus doctoribus uti populo conveniret, nec hoc eundem fugeret. Quæ equidem rationes, graves utique & evidentes, jam olim convicerunt pulcerrimum & utilissimum Scripturarum interpretem, *Lucam Osiandrum*, ut populum, ex bonis malisque constantem, allocutum esse in concione ista Christum, non solos discipulos, jam Spiritu S. & fide imbutos, contenderet. Neque post Chemni-

311770